



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Ioannis Ioviani Pontani. De Aspiratione Libri duo. Charon
Dialogus. Antonivs Dialogus. Activs Dialogus. Aegidivs
Dialogus. Asinvs Dialogus. De Sermone Libri Sex. Belli,
Qvod Ferdinandvs Senior ...**

Pontano, Giovanni Giovano

Venetiis, 1519

De Insulis, & Profusis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12960

DE SERMONE

omnia, ad quæ dilapsi, nec lasciuunt tantum, nimisq; in illis sunt, uerum petulantes, osceni, & (quod turpissimum est) impuri. Minime autem uerebimur, hoc ipsum genus partiri eorum qui ad uoluptatem tantum, atq; in gratiam loquantur, comparandæ tantum uoluptatis causa. Sunt enim qui ipsi quidē minime lasciuant, seruentq; in iocando delectum atq; in dicendo, uerū in hoc à recto atq; honesto abeunt, quod uoluptatem sibi proposuerunt, uile sanè pretium, pro quo tamen assequendo & ueritati obstant, & ab hominis recedunt dignitate. Siquidem quo instrumento, quaq; nature dote præditi sumus cum excellentia animalium cæterorum, eo ipsi pro re maxime sordida, beluarumq; magis quàm hominū propria abutuntur. Neq; enim finis eorum est in laborum requiete, molestarumq; relaxatione, ut iucunditatem aut quærant, aut afferant, quo & tranquillēt audientium animos ac suos, & refocillent eos à præteritis defatigationibus, uiresq; renouent ad easdem rursus obcundas, uerum quod à natura atque ab habitu ita quidem instituti ad ea ipsa sunt, ut neq; ab desideria ignauisq; longius absint. Atque hæc quidem uidentur esse Assentatorum genera.

De Insulis, & Profusis.

Sunt ex hoc etiam numero, qui dum oblectare student, maxime aures audientium offendant, tum insulse loquendo, tum profundendo & res & uerba, nec delectu habito, nec modo aut mensura adhibitis. Itaq; tædij genus hoc ac molestarum ueteres dicebant hominem occidere, cum eiusmodi homines in cunctis & multi essent, & insulsi, ineptiq; ac cum primis importuni, ut non inconuenienter à ranarum similitudine sint qui eos Coaxatores uocent, quod coaxare eos quàm loqui magis existiment, ut qui non modo non mulceant aures, uerum ad impatientiam usq; obtundant.

De Contentiosis.

A dulatorum studijs maxime aduersi uidentur contentiosi quidā homines, quorum ea est natura, id etiam studium, ut non modo non loquantur in aliorum gratiam, neq; gratificentur ipsi alijs, sed contra ut aduersentur et ubiq; & in qbusq; neminemq; uereantur in dicendo offendere, quin & serant ipsi sponte studioseq; contentiones, & ab alijs satus accipiant, lætenturq; ijs & fouendis & exercendis, qui
bus etiam